982

ILLVSTRISSIMO VIRO DOM. D.

NICOLAO POTIER

EQVITI DOM. DE NOVION, &c.



Regi à ſecretioribus conſilijs, & in ſuprema Galliarum curia præſidi Infulato.

EN Anathêma (Præſes Illuſtriſſime) *Medicas haſce primitias, hoc ineunte anno quo ſolent homines ſibi inuicem ſtrenas anni noui auſpices miſsiculare, templo tuæ virtutis appendo. Audacia-ne iſta? ſpecta debitum meum, ſuſpicio ceſſabit audaciæ. Minutum munuſculum? agnoſce amorem, muneris non ſpernetur exilitas. Sæpe res viles aris dicatæ, ab animo conſecrantis prætium ſumunt; Deoque vt plurimùm non minus grata venit parua thuris gleba, quàm hecatombe. Hoc nomine oblatam tuæ purpuræ primam hanc meam in medicinæ ſtudio ſtadioque velitationem, boni conſulas precor, quam tibi tanquam Deo tutelari nuncupandam eſſe, & tua apud omnes exiſtimatio poſtulauit, & officij mei ratio perſuaſit. Quis enim neſcius eſt, quantum laudis propriâ virtute tibi comparaueris, & quantùm ſplendoris maiorum tuorum gloriæ adieceris, ex quo meritâ infulâ, licet hæreditariâ, inſignitus fuiſti. Nullus profectò non miratus eſt, diuinum illud & in tam iuuenili corpore ſenile ingenium, quo & iudicio & prudentiâ cùm innata animi magnitudine, inter tot Curiæ principes ſic procul emines, vt inter reliquos ſyderum ignes aureus elucet Heſperus; omniumque animos in tui amorem incredibilem ita pellexiſti, vt nomen tuum iam ſatis per ſe notum, ad vlteriores orbis plagas propagaueris, in quibus nihil tibi aliud præter vota parietes ipſi reſonant. Hac motus celebritate patrocinium tuum ambire occœpi, deſiderium poſtea inflammauit grata beneficiorum à te tuiſque in pâtrem meum colendiſsimum collatorum recordatio, ex quo primùm in perilluſtris familiæ veſtræ Medicum bonâ ſorte adſcriptus eſt, ab illuſtriſsimis & numquam ſatis laudatis Senatus principibus, auo & parente tuo, quibus vt in gentilitio ſtemmate, ſic in iure dicundo manus ambæ rectæ ſemper fuerunt & apertæ; poſtremo à te tantorum heroüm filio digniſsimo, cùm quibus ſi conferâre, non ſolum non deterior videberis, ſed vti gemma auro admota, mutuum decus & das & accipis: qui eorum inſiſtens veſtigijs, quam generoſâ probitate integerrimorum iudicum memoriam de ſe poſteris reliquerunt, non affectare, ſed iam tibi partam habere, meritò apud omnes audis. Quemadmodum autem tu* (Præſes Eminentiſſime) *non virtutum, dignitatum, & prædiorum tantùm ſed & eximiæ in parentem meum beneuolentiæ ab ipſis hæres eſſe voluiſti, imò auctionem facere & contraliceri: Sic patere quæſo, vt ego qui paternæ profeſsionis & genij imitator eſſe contendo, eius in te pariter obſequij & obſeruantiæ, ex voto cultor ſim religioſiſsimus; in hoc etiam ſuperior patre, ſi fieri poſſet, euaſurus. Hinc neminem in poſterum tam iniquum fore rerum æſtimatorem ſpero, qui temerè à nobis hocce Medico programmate dictum putet, quod patrum in nâtos abeunt cum ſemine mores.*

Tuus æternùm addictiſſimus PETRVS PERREAV.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS VII. IANVARII.

M. STEPHANO BACHOT, Doctore Medico, Præside.

An patrum in natos abeant cum semine mores? 9 82

HVMANVS animus suâ naturâ extorris materiæ, & elementorum exors, illigatur corpori quod agit mouetque, non aliter quàm testudo domui, quam circumfert: Et quamuis diuersa sit vtriusque sors atque conditio, perpetuisque odijs dissideant, quamdiu tamen corpori adunatur, cuius actus est, vt gubernator nauis, sic ipsum impellit, vt vicissim ipse impellatur, & illius quoque motiones in se sentiat. In eò velut in carcere, vel si malis, sepulchro situs, desinit esse sui iuris ἐξ αὐτεξούσιος, nullasque edere functiones valet immunes à corpore. Quid enim agat artifex quantumuis peritus, instrumento vacans? Cuius perfectionem integritas, vitium ipsarum impedimentum euersioque sequitur. Animus videt, animus audit; sed si oculos occuparit glaucoma, si aurium meatûs crassus humor obsederit, frustrâ vim suam exerit animus. Eodem modo, nec sentit sine neruo, nec mouet sine musculis, nec sapit aut meminit sine cerebro, sine corde ac iecore non irascitur aut concupiscit. Otiosa tamen est absque spirituum & humorum ministerio partium singularum opera, quorum moderatione vel intemperie recta vel vitiosa pendet in generationis primordijs membrorum configuratio.

MORES sunt insitæ vel insitiuæ quædam propensiones quibus incitatus animus, vel pathematis, vel virtutibus aut vitiis, facilius assuescit. Illos à nullo Doctore acceptos, sed ab ipsâ naturâ haustos, & pueri & lactentes ipsi ante voces exprimunt; Imò in ipsis quoque contrarios obseruamus. Hic liberalis & benignus est, ille inuidus; hic lenis & misericors, ille alienis malis exultat; hic pauidus est, ille audax. Tot morum discrimina ab humorum diuersorum dominio proficiscuntur, vt bona pars bonæ vel malæ mentis à corporis habitu pendeat. Sic à sanguine docilitas, mansuetudo, Veneris studium, stoliditas pulchritudinis assecla: A pituita segnities, torpor, mentis hebetudo, somnolentia: à melancholia, metus, mœror, λαγνεία & animi robur: à bile incandescentia, leuitas, superbia, δοκησοφία. Nec à solis humoribus ingenium & mores, sed & à cœlo & solo immutantur, quorum amœnitas aut inclementia, indolem quoque reddit consimilem. Sic in Septentrionalibus duritas & diritas morum, in Asianis comitas apparet ἐξ εὐφυΐα. Nonne in ipsos ius habent & ἔθος καὶ διδαχή, victusque ratio? quorum plerumque ea solet esse vis & efficacia, vt qui naturâ superbus erat, humillimus reddatur. Nolim tamen credas, vitæ institutum, hominumque mores insitos, adeo per educationem mutari posse, vt nihil horum posthac traluceat.

SEMEN veluti quoddam ψυχῆς καὶ σώματος ἀπόσπασμα singularum corporis partium idæam refert, à quibus excerpitur & decidit; hominis compendium iure dixeris. In ipso æternum reddit natura, quod mortale genuerat: Neque illud perit omninò, quod alio simul renouatur ac repubescit. Hoc modo species & speciei conseruator sexus perennat, ipsaque paterni oris & corporis effigies, ipse gestus & nutus in filiis spirat; imò vt nihil desit, colores, næui & cicatrices in eadem particulâ pinguntur. Finis ab ortu pendet, rectèque dixeris in semine nasciturі hominis fata occultari, legemque canorum & barbæ. Tot motuum principia in hâc guttulâ latent, vt rerum maiestas in gemmâ vnâ: quæ altius interdum quàm à patre scaturiunt, vt in albi parentis filio nonnumquam reuiuiscat auus Æthiops.

ORTA principiis respondent, neque ex aquâ ignis, neque ex igne aqua generari potest. Ex sincero sanguine nec-non bilioso calidum semen, ex melancholico & pituitoso non nisi frigidum conficitur. Hinc biliosi biliosos, sanguinei sanguineos, melancholici melancholicos, pituitosi pituitosos procreant. Nec perit seminis materia in conformationis opere, sed suis perfusa qualitatibus seruatur, & in generatas partes abit; ideóque non nisi supremo interitu primæ istius materiæ temperies aboletur. Est etiam in malis hęreditas, & propagantur morbi per traducem, filiis, quidquid parentes peccauerint, immeritâ calamitate luentibus; adeo similitudinis sollicita natura est, vt ægris parentibus natos, infœlices potius gignat quàm dissimiles. An illa in perfectis deficiet? Minime. Nullus verè est heros, qui heroëm non progeneret, in hoc alioqui vili quouis animante inferior, quod præstantissimâ similis procreandi facultate non caret.

MONSTRVM est quodammodo, patrem non referens filius; neque quidpiam habet effectus naturalis, quod à causâ non mutuetur. Quis ex arida radice flores expectet? aut ab imbelli columba ferocem Aquilam? fortes creantur fortibus & bonis. Id palam fit in generationibus animalium, imò & plantarum: cùm ad initûs equarum, equi meliore admissurâ creati, ad canum congressûs quæ catuliunt generosi canes vsurpentur, & ad vites, oleas, cæterasque arbores propagandas, optimæ viui-radices & surculi deligantur. Hinc à sapientissimis regnum hæreditarium constitutum est, ex magnis & heroïbus viris similem prolem expectantibus. Hinc à plebeio plebeius, libidinoso proiectæ pudicitiæ adolescens & luxuriæ mancipium, à ferino & immiti, ferinis quoque moribus nascitur filius, quos numquam exuit, licet aliquando submittat, sed cum minimè expectaueris exasperantur mitigati, nec vnquam bonâ fide mansuescunt aut cicurantur. Quid plura? parentum virtutes & vitia vnâ cum semine quasi instillantur filio, in quo eorum persæpe frons, oculi, vultus, agnoscuntur, sœpissimè autem mores.

Ergo patrum in natos abeunt cum semine mores?

Proponebat Lutetiæ PETRVS PERREAV Parisinus, A. R. S. H. M. DC. XLIX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Michaël Marès.
M. Claudius Breget.
M. Martinus Akakia Profes. Reg.

M. Durandus Franciscus Ton.
M. Leo le Tourneurs.
M. Nicolaus Cappon.

M. Philebertus Morisset.
M. Iacobus Cornuti.
M. Carolus Guillemeau.